Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



dei est ipse ardens affectus anime qui dicit
deus meus, amor meus, tu totus meus
et ego tuus. Dilata me in amore ut dis-
cam interiori cordis ore degustare quam su-
ave sit amare, et in amore liquefieri
et natare. Tenear amore vadens supra
me, pre nimio feruore et stupore. Cantem
amoris canticum, sequar te dilectum meum
in altum, deficiat in laude tua anima mea
iubilans ex amore. Amem te plus quam
me, nec me nisi propter te, et omnes in te qui
vere amant te, sicut iubet lex amoris
lucens ex te. Est amor verus, velox,
sincerus, pius, iocundus et amenus, fortis,
patiens, fidelis, prudens, longanimis,
virilis et seipsum numquam querens. Ubi enim
seipsum aliquis querit, ibi ab amore
cadit. Est amor circumspectus, humilis
et rectus, non mollis, non lenis, nec vanis
intendens rebus, sobrius, castus, stabilis,
quietus, et in cunctis sensibus custoditus.
Est amor subiectus et obediens prelatis
sibi vilis et despectus, deo deuotus et grati-
ficus, fidens et sperans semper in deo, etiam cum sibi
non sapit deus, quia sine dolore non vivitur
in amore. Qui non est paratus omnia pati
et ad voluntatem stare dilecti non est dignus